Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2477
Quelle:
Copyright:

Mellic. p. 184. teſtantur, quidni hanc ei *Epiſtolam* tribuamus, ſcriptamque dicamus ad *Benedictum* quendam *Auſtriacum* non parvae inter ſuos autoritatis. *Intelligo enim,* ſcribit Noſter *in omnibus ſalua tamen autoritate et prerogatiua Prioris quaſi totam in perſona veſtra hanc reformationem conſiſtere et perſonam veſtram ad hoc multum poſſe ſuffragari vt hec reformacio effectum ſorciatur* &c. Itaque omnibus illum modis adhortatur. *Dinckelſpühlium* Benedictinis Coenobitis, *Mellicenſibus* maxime, addictiſſimum fuiſſe conſtat. Atque huc pertinent, quae mox ſub principium ſcribit: *Ego ipſe me participem bonorum veſtrorum fieri deſiderans perſonam meam quaſi vnum ex vobis in materiis ſcriptis et ſcribendis ponere curavi.*

II. *fol.* 8. p. 2. *Queritur vtrum ſit licitum ſacros libros in vulgari editos. ſeu de latino in vulgari translatos legere uel habere.* Reſpondetur: *quod huius modi libros legere dummodo hereſim non contineant uel errores et maxime ſi de plana materia aperte pertractent et à libris ſanctorum tam ſtilo dictaminis quam concordia ſenſus non diſcordent, eſt licitum et meritorium.* Reſponſum iſtud per partes expenditur et declaratur. Inter alia per inductionem *Hebraeorum, Graecorum, Chaldaeorum, Syrorum, Arabum, Gothorum, Aegyptiorum, Ruthenorum, Sclavorum,* et *Armenorum* oſtenditur licitum eſſe ſacras Literas vertere, et infertur: *Que ergo eſt ratio quod in tot nacionum linguis licet legi ſacram ſcripturam et non in ydeomate theutonicali?* Urget itaque hanc lectionem apud Populares ſuos, quorum multi ſunt, ut ait, *qui continuo legunt in libris de Rolandino, de bello troyano et ſic de alijs ineptis et inutilibus fabulis,* quibus alio loco adcenſet *Sermones Echardi,* ſive Narrationes de ſic dicto *ſido Eckardo.* Nihil repugnat, hujus quoque Tractationis Autorem eſſe *Nicolaum de Dinckelſpühl.*

III. *fol.* 14. *Incipit ſtella clericorum.* Iam indicata *Codd.* variis.

IV. *fol.* 22. Methodus confitendi, cujus initium: *Ut ſcholarium valeat congregacio aliqualem vt a ſuis expietur vicijs confitendi modum cognoſcere ſubſcriptam confeſſionem diligenter ſtudere minime vilipendat* &c. An ex ejusmodi Peccatorum Elenchis plus boni, malive proficiſcatur, Problema eſto.

V. *fol.* 40. *Forma eligendi Abbatem.* Item *Modus viſitandi.* Item *Inquirenda ab eo, qui ad ordinem recipiendus.* Item Formula Confeſſionis Deo faciendae. Nihil in his aut antiquum valde, aut ſingulare.

VI. *fol.* 42. p. 2. *Incipiunt verſus ſignorum.*

Si quis adhuc artem ſignandi non bene nouit
Me legat et lecto ſibi ſignet carmine multa.
Index appoſitus oculo viſuque levato Deus.
Dat chriſtum. ſic inclinatus dat tibi ſtatim Statim.